

centarchos, divisit populum inter filios et filias vel generum suum, et cum ipsos pauperes aedificant sibi palatia. Tribunatus nobis abstulit. Liberos homines non nos habere permittit, sed tantum cum nostros servos facit nos in hoste ambulare; libertos nostros abstulit; advenas homines ponimus in casas vel cetera nostra, nec in ipsos potestatem habemus.

« Graecorum tempore omnis tribunus habebat excusatos quinque, et amplius, et ipsos nobis abstulit.

« Fodro numquam dedimus; in curte numquam laboravimus; vineas numquam laboravimus; calcarias numquam fecimus; casas numquam edificavimus; tegorias numquam fecimus; canes numquam pavimus; collectas numquam fecimus, sicut nunc facimus; pro unoquoque bove unum modium damus; collectas de ovibus numquam fecimus, quomodo nunc facimus; unoquoque anno damus pecora et agnos; ambulamus navigio in Venetias, Ravenam, Dalmatiam, et per flumina, quod numquam fecimus. Non solum Joanni hoc facimus, sed etiam ad filios et filias seu generum suum. Quando ille venerit in servitium domini Imperatoris ambulare aut suos dirigere homines, tollet nostros caballos, et nostros filios cum forcia secum ducit, et facit eos sibi trahere saumas procul fere trīginta et amplius millia, tollit omnia eis quidquid habent, solummodo ipsa persona ad pedes remeare facit in propria. Nostros autem caballos aut in Francia eos dimittit, aut per suos homines illos donat.

« Dicit in populo: 'Colligamus exenia ad dominum Imperatorem', sicut tempore Grecorum faciebamus, 'et veniat missus de populo una mecum, et offerat ipsos exenios ad dominum Imperatorum'. Nos vero cum magno gaudio colligimus. Quandoque venit ad ambulare, dicit: 'Non vobis oportet venire; ego ero pro vobis intercessor ad dominum Imperatorem'. Ille autem cum nostris donis vadit ad dominum Imperatorem, placitat sibi vel filiis suis honorem, et nos sumus in grandi oppressione et dolore.

« Tempore Grecorum colligebamus semel in anno, si necesse erat, propter missos imperiales de centum capita ovium, qui habebat, unum. Modo autem, qui ul-